

mum, superiore in dentem seu processum obtusum concavum excurrente; carina fere vexilli longitudine, recta, compresso-conduplicata, extrorsum latior, transverse obtusa, a basi fere usque ad medium bifida, in unguis binos inferne desinens, subsfiriata, dorso flavo-virente.

STAMINA decem, carina breviora, diadelpha: unum liberum, reliquis brevius: filamentis albis, antice parcissimo virore tinctis, ad angulum prope rectum inflexis; antheris ovatis, obtusis, cum polline flavis.

GERMEN ovatum, apice hirsutum: pilis albis nitidis, circum stylum in fasciculum collectis. Stylus setaceus, cum filamentis inflexus, albidus, cum parcissimo tinctu, inferne viridi, versus stigma rubello. Stigma simplicissimum, stylo aequale.

LEGUMEN unico articulo constans, calyci persistenti inclusum, compressum; margine superiore rectiusculo inermi; inferiore arcuato, carinato, antice aculeato, aculeis quatuor, purpurascientibus, demum fuscis; lateribus grosse & elevato-rugosis: rugis antice aculeatis, aculeis subquinis indole priorum. SEMEN unicum in singulo legumine, subcompressum, subreniforme.

Caulis, foliola, petioli, pedunculi, calyces & legumina, pilis albis nitidis adpressis cano albida, foliola tamen supra glabra, & dentes calycini tantum ciliati sunt.

Habitat in monte calcareo Szimion pone Csiklovam in Banatu, loco lapidofo, ad quem a scaturigine magna rivi arduus est adscensus. Floret sub finem Junii.

Ab H. Onobrychide praeter notas in definitione indicatas differt: caulis subangulatis, dense pilosis; foliis superioribus sessilibus; floribus subsessilibus; pedunculis angulatis, brevioribus.

EXPLICATIO TABULAE.

- a. Calyx.
- b. Vexillum.
- c. Ala.
- d. Carina.
- e. Stamina.
- f. Pistillum.

Tab. II2.

TRAGOPOGON FLOCCOSUM.

Tragopogon tomentoso-floccosum, calycibus corollæ radio brevioribus; foliis linearibus, canaliculatis, caulinis revolutis.

RADIX biennis, simplex, pedalis aut sesquipedalis, digitum auricularem crassitie aequans, recta, superne lineis eminentibus, parvo spatio interruptis, annulata, extus sordide pallide fusca, intus alba, sauciata succum lacteum tenacem fundens, qui ab aeris contactu lateritium colorem adsunit & in viscum coagulatur.

CAULIS solitarius erectus, 2-4-pedalis, subflexuosus, ramosus, teres aut subangulatus, striatus: ramis simplicissimis aut subdivisis, florem primarium excedentibus.

FOLIA angusta, linearia, conduplicato-canaliculata, carinata, integerrima,

5-7-nervia; radicalia pedalia aut longiora, patentia, apice recurva; superiora pendula, apice revoluto-circinata aut spiraliter revoluta, basi dilatata, semiamplexicaulia.

FLORES mediocris magnitudinis, nonnihil inclinati, in pedunculis seu ramis foliatis, teretibus, nequaquam incrassatis.

CALYCES stipati folio brevi revoluto, corollulis exterioribus breviores, octo-partiti: laciniis lanceolatis, acutis, subcarinatis.

COROLLA flava: corollulis latiusculis, substriatis, truncatis, quinque-dentatis, versus apicem margine utroque subinvolutis; tubulo pallido, ad initium ligulæ setulis luteis cincto.

STAMINA filamentis pallide luteis, tubulum corollulæ excedentibus, parte eminente liberis, inferne, qua parte tubulo adnascentur, mediante hoc connexis; antheris profundius luteis, in tubulum striatum quinquedentatum coalitis.

GERMEN oblongo-ovatum, album, sulcato-striatum, apice lanatum, & setis aliquot longioribus, pluribusque brevioribus, basi pilosis, coronatum. Stylus filiformis, pallide luteus; stigma crassiusculum, bifidum, parte inferiore integra sub-villosum.

SEMINA oblonga, sulcato-angulata, in stipitem pappigerum angustata. Pappus plumosus, setis inferiore parte pilosis, aliis longioribus, aliis pluribus brevioribus constans.

RECEPTACULUM nudum, foveolis pro recipiendis seminum basibus instructum.

Tota planta tomento albo deteribili, ac demum sponte forma floccorum secedente, tecta, maxime basis foliorum & calycum, illorum tamen superficies superior subnuda.

Crescit in sabulo ad sylvulas populneas, quibus clivi collesque arenosi ad Izsák in Comitatu Pesthensi obsidentur. Incipit florere sub finem Maji.

Herba editur a bobus, ovibus & equis. Radix procul dubio, ut aliarum specierum, in cibum hominum converti potest, non contemnendo usū, quia solo sterili arenoso contentatur.

Tab. 113.

BUPHTHALMUM CORDIFOLIUM.

Buphthalmum foliis alternis, inferioribus petiolatis, cordatis, duplicato-ferratis, superioribus sessilibus, ovatis, ferratis; caulis herbaceis.

Buphthalmum speciosum *calycibus foliosis, foliis alternis ovatis duplicato-ferratis scabris, caule herbaceo.* Schreb. Icon. et descr. pl. minus cognit. Dec. 1. p. 11. t. 6.

RADIX perennis, fascem magnum radicularum e corpore crasso fusco demittens. Radiculæ hæ filiformes sunt, crassitie culmum Tritici æquantes, bipedales aut etiam longiores, flexuose, fibris vestitæ, sordide pallideque fuscæ, odoris gravis, faporis acris, aromatici.

CAULES plures ex eadem radice, orti e propaginibus, quas radicis corpus pro futuro anno edit, tri-quadripedales, imo humanam etiam altitudinem adtingentes,

G g





Fragopogon floccosum.